

consilium Domini, stantis in littore et necdum cogniti, in reti esse conclusam, ex tam liberali beneficio statim agnovit Christum, ejus auctorem; uti indicat ipse, quando ita scribit: *Miserunt ergo, et jam non aiebant illud trahere præ multitudine piscium. Ixit ergo discipulus ille, quem diligebat Jesus, Petro: Dominus est.* Joan. XXII. Ubi particula *ergo* indicat sequelam ex copiosa piscium multitudine ortam, scilicet Christi agnitionem. Unde in eum locum Euthymius: *A prospero, inquit, id eventu intelligens, et quod tamquam ex illius jussu conclusi essent pisces. Felicissimum illum jactum non adscripsit industria suæ, non sagenæ, non robori aut celeritati suæ, sed consulenti et per miraculum cogenti pisces Domino, q. d. supra humanas vires est hæc tam copiosa piscium conclusio: igitur a Domino factum est istud.* Non sic impii non sic; sed si quid beneficii accipiunt, id sibi stulte tribuunt, uti Chaldaeus ille Nabuchodonosor, qui cum cepisset, spoliasset et vastasset Judæam potenti suo exercitu, adeoque Judæos velut pisces coegisset in rete suam et captivos abduxisset, sibi eam capturam adscripsit, non Deo; a quo tamen ad puniendos Judæos, missus fuerat et robur omne acceperat. Unde Habacuc capite primo, ita loquitur: *Totum in hamo sublevavit, traxit illud in sagena sua, et congregavit in rete suam, super hoc lætabitur et exultabit, propterea immolabit sagenæ suæ et sacrificabit reti suo; dicendo videlicet: Mea virtute bellica, meo robore peperit triumphos istos: illa mihi Deus sunt, alium non agnosco. Ob quem fastum et insolentiam minatur ei Deus capit, sequent: excidium et spoliationem rapinarum suarum a Cyro et Persis inferendam: Quia tu spoliasti gentes multas, spoliabunt te omnes, qui reliqui fuerint de populo. Idem continget antichristo, qui victorias suas et regum debellationes adscribet suo Maozim, h. e. viribus suis bellicis, eumque velut Deum colet, Dan. XI. sed post tres annos eum dimidio turpiter interibit et mergetur in abyssum. Idem expectent principes politici, qui potentiam, divitias, favores, dignitates, gloriam, nobilitatem suam, non Deo, sed sibi attribuunt: quia Deus gloriam alteri non dabit, et tandem exposciabit spoliatores. Prævidens id Job, cap. XXXI. *Si osculatus sum manum meam* (h. e. si meas opes adscripsi mihi et industriae meae) *pro frumento oriatur mihi tribulus et pro hordeo spina.**

IV. Norunt castigantem se, et patienter sustinent, imo etiam laudant, unde quando sentiunt calamitatem aliquam, illico advertunt. Det manum, quæ sibi eam immiserit, ut Sanctus Job, qui percussus ulcere pessimo, non diabolo id tribuit, a quo velut carnifice sic confectus erat; sed: *Manus Domini tetigit me*, ait, cap. XIX. Simi-

liter etiam David, quando calumniis et lapidibus impetitus fuit a Semei, mox agnovit plagæ auctorem Deum, qui per manum inimici castigaret ejus scelera, ut eo pacto sanaret, II. Reg. XVI. *Dimitte eum ut maledicat*, inquit, *Dominus enim præcepit ei ut malediceret David.* Hinc etiam Psalm. XXXI. ait: *Obmutui et non aperui os meum, quoniam tu fecisti.* Ubi Theodoretus: « Semei similis erat flagello; tu vero per illam castigationem afferebas: propterea silens flagella accepi; illum quidem despiciens, te vero in me animadvertentem respiciens. » Idem observarunt Hebræi, I. Reg. VI. quando in prælio succubuerunt et cæsi sunt a Philistæis, dixerunt enim: *Quare percussit me Dominus hodie coram Philistæis.* Certe Philistæorum brachiis et armis percussi et contusi fuerant, non tamen illis adscribunt plagam suam, sed Deo, velut medico suo, qui inimicorum gladiis et lanceis, velut chirurgorum lanceolis venam eis incidit, et noxium sanguinem emisit. Non ita filii hujus sæculi, qui non sunt oves Christi; velut enim insani flagello irascuntur; quo percutiuntur, flagellantem se Deum non agnosunt; lapidem morsibus impetunt ut canes, projicientem non vident. Si quo modo tanguntur diabolo, aut malis hominibus, vel adversæ fortunæ impuniti. Aves cum capiuntur, casu se in reti incidisse putant; cum tamen ad hunc finem ab aucupe eis posita sint. Unde Amos tertio dicitur: *Numquid cadet avis in laqueum absque aucupe?* Concluditque: *Numquid est malum in civitate, quod non fecerit Dominus?* Laborarunt hæc insipientia Philistæi, quando ab arca federis, quam ceperant, varias accipere plagas, nec tamen agnoverant ab arca sibi inflicta, sed potius casui tribuebant, I. Reg. VI. Laborant usque in hodiernum cæcitate hæc Judæi, necdum intelligentes, se ob Christum Messiam suum a se occisum exulare a patria et premi servitute. Ingens est perniciosa hujus cæcitate. Hinc enim qui castigantur, non tantum se non emendant, sed irascuntur, murmurant et blasphemant, adeoque salutis pharmaca in venenum sibi convertunt.

V. Norunt pastorem suum esse misericordem simul tamen et justum. Itaque si cadant, mox resurgere conantur, confisi de misericordia pastoris sui. Oves aberrantes inquietæ sunt et undique discurrunt, adeoque ad unum pastoris sibi recurrent ad suum gregem: ita qui oves Christi sunt, quando a via mandatorum deflexerunt, ad vocem Dei arguentis ac revocantis, cito se reflectunt, et redeunt ad pastorem suum. Patet in Davide, qui post lapsum inquietus: *Erravi sicut ovis, quæ perit*, inquit, *quæ servum tuum*, Psalm. CXVIII. Unde ad primam prophetæ Nathan increpationem statim in se reversus vocem pas-

toris sui audiit, et peccatum suum agnovit ac deploravit. Quamobrem ejus peccatum a Nathan in parabola recte comparatur hospiti, qui quidem hospes diu immorari non solet in aliena domo, II. Regum XII. Idem quando sauti vel oram chlamydis tantum abscidit, statim reverberatus est a corde suo, I. Reg. XXIV. Rursum postquam numeravit populum suum dicens: *Peccavi valde hoc factis*, II. Regum XXIV. Patet in Petro, qui cum negasset Dominum suum, ad primum ejus obtatum mox errorem suum agnovit, et amarum lacrymis diluit. Norat enim magistrum suum mitem et clementem esse, qui non vellet mortem peccatoris. Non ita novit Judas, qui faciem magistri fugiens ad laqueum cucurrit. Hinc electi quando cadunt, dicuntur in faciem cadere, quia mox a lapsu pœnitentes resurgere nituntur; reprobi in dorsum, uti cohors in monte Oliveti, verbo Christi prostrata: et Heli, qui ex sella cecidit retrorsum et fregit cervicem, I. Reg. I. qui nesciunt quorsum cedant; unde nec resurgere laborant. *In faciem nostram cadimus*, inquit D. Gregorius, hom. VIII. in Ezechielem, *quia ex malis erubescimus, quæ nos meminimus perpetrasse; ibi enim cecidit homo, ubi confunditur.* Reprobi ob lapsum non erubescunt, sed potius: *Lætantur cum male fecerint, et exultant in rebus pessimis.* Prov. II. quandoque etiam: *Peccatum suum sicut Sodoma prædicant*, Isa. III.

VI. Rursum oves Christi timent offendere pastorem suum, quia norunt ipsum etiam esse justum et severum peccatorum vindicem. Ovem se ostendit David, quando in exilio oberrans noluit mittere manum in hostem suum Saulem, sciens Deum injuriarum esse ultorem, dicens: *Quis enim extendet manum in christum Domini et innocens erit?* I. Regum XXVI. Ovem se ostendit Susanna, quando maluit incidere in manus hominum, ut innocens lapidaretur, quam peccare in conspectu Dei. Ostendit senex Eleazarus, qui ex cruciari maluit, quam vetitis pollui cibis: *Nam etsi in presenti tempore, inquit, supplicium hominum eripiar, sed manum Omnipotentis nec vivus nec defunctus effugiam*, II. Macchab. VI. Astrologus quidam in aula Friderici imperat. Rodolphum Habsburgensem comitem summa veneratione prosequi solebat, eique majorem longè quam aliis, licet eo potentioribus, reverentiam exhibere. Interrogatus de hoc a Cesare, quamobrem pauperi comiti tantum honoris præceteris deferret, respondit, quia nosset eum futurum Cesarem, ipsius successorem, uti refert Cuspinianus. Nemo ex proceribus, saltem potentioribus, honore eum dignatus est, quia non noverunt Cesarem futurum, adeoque suum dominum. Par ratio est de iis, qui non sunt oves

Christi: non verentur nec venerantur eum in suis actionibus, quia non noverunt eum futurum judicem suum. Discrimen hoc notavit Sapiens, Prov. XIV. cum ait: *Sapiens timet et declinat a malo, stultus autem transiit et confidit.* Timet sapiens Deum velut regem, et futurum aliquando judicem suum: stulti dissimulant et confundunt, quasi evasuri Dei judicium. Unde Hugo card. in eum locum: « Stultus est velut equus exoculatus qui nihil timet, quia nihil videt: unde vulgo dicitur, nihil esse audacius equo cæco. »

Quando igitur in hæc pastoris nostri notitia tantum esse positum intelligimus, demus operam, ut simus, quod a nobis pastor noster divinus exigit, non equi, non boves non sues, sed oves, pastorem agnoscentes.

CONCIO V.

QUAS OB CAUSAS CHRISTUS DARE PRO SUIS OVIBUS ANIMAM SUAM VOLUERIT.

I. Ut fidem et spem resurrectionis nobis inplantaret. — II. Ut animaret martyres. — III. Ut doceret nos quoque ponere vitam pro fratribus. — IV. Ut doceret nos mortem contemnere. — V. Ut ostenderet quantopere nos amaret.

THEMA.

Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. Joan. X.

Non invenio in historiis, nisi unicum pastorem, qui pro grege suo depugnans vitam impenderit; et quidem in vita S. Pöpponis abbat. Stabulensis, qui cum iter ageret, vidit lupum irruisse in pastorem, eumque prostratum; ac per colli nuda arreptum ad silvam perfrahere conantem. Quamquam sanctus ille prædam lupi eripuit, et enectum opilionem mentis suis vitæ restituit; ut in ejus vita refert Everhelmus abbas Altimontensis, apud Surium, 25. jan. Et quid mirum? Quis enim homo quantumcumque abjectus velit vitam suam dare pro vita ovium? Quid igitur est quod audimus a Christo Domino: *Bonus pastor ponit animam suam pro ovibus suis?* Sed facilis est responsio. Loquitur enim Dominus de pastore animarum, et de ovibus ratione præditis: quibus custodiendis a lupo tartareo certe obligatur pastor impendere vitam suam. Sed adhuc instabit aliquis: Esto hoc æquum sit in pastore animarum, homine hominum custode: quo jure Dei Filius ponit vitam suam pro hominibus? Nonne vita Dei infinitas magis superat et præcellit vitam omnium hominum, quam vita unius pastoris vitam omnium ovium? Verum est non ab hæc. Hæc tamen non obstante voluit divinus ille pastor noster

eousque se demittere nostri amore, ut etiam pro nobis vitam suam ponere minime dubitaret. Hoc igitur grande amoris miraculum, et paulo propius intueamur, exuemus una cum Moyse terrenarum rationum calceos, et audiemus divinas.

I. Ut fidem et spem resurrectionis nostræ in suis ovibus partim plantaret, partim confirmaret. Difficillimum est credere humano intellectui, eundem numero hominem semel extinctum, posse reviviscere: idem corpus jam absumptum a bestiis, igne, putredine, posse redintegrari: quod proinde gentiles vel nulli vel paucissimi credebant: Judæorum etiam multi ut Sadducæi negabant, alii languide et difficulter sibi persuadebant. Ex quo perniciosissimo errore ingens scelerum et malorum colluvies prodibat. Quis enim abstinere vitii et voluptatibus: imo quis non indulgeret genio, et omni serviret libidini, quis virtuti operam daret, si nulla est retributio et spes alterius vitæ? Ergo ut hanc fidem atque spem implantaret, et fortiter infingeret animis mortalium, voluit mortem, permissa improbis potestate, subire; ut primus omnium posset resurgere propria virtute, et quidem ad vitam immortalem. Tametsi enim et alii quidam a morte per Eliam et Elisæum fuere suscitati, resurrexerunt tamen ad vitam mortalem, iterum morituri. Primus omnium Christus ita resurrexit, ut deinceps mori non posset; unde qui eo mortuo leguntur resurrexisse, vel non surrexerunt ante ipsum (ut indicat Matth. cap. XXVII. vers. LIII. *Eceuntes de monumento post resurrectionem ejus*) vel si prius, non nisi dependenter et in virtute resurrecturi mox Christi, velut ducis resurgentium, ut observat D. Thom. III. part. quæst. LXIII. art. III. Hinc appellatur, *primitiæ dormientium*, I. Corinth. XV. et *primogenitus mortuorum*, Apocal. I. Primitiæ dicuntur primus terræ fructus, qui olim in lege veteri Deo offerebatur. Talis est inter mortuos Christus primitivus e terra fructus, resurgens et repullulans ad vitam immortalem, velut granum frumenti, quod ceciderat in terram. Quemadmodum enim primus Adam causa omnium morientium; ita Christus secundus Adam, factus est causa omnium resurgentium, uti discurrunt apostolus, loc. cit. ver. XXI. Videmus interdum in celebribus nundinis comparere circumforaneos chirurgos, qui gladiis aut cultris seipsos fœde incidunt, lancinant et perforant: moxque adhibito unguento statim persanant, ut nil plane vulneris appareat; et hoc agunt, ut fidem faciant arti et unguento suo. Nolo hic judicare, quam solide hoc fiat: id tamen est, quod assero, simili ex causa permotum Christum Dominum, ut mortem in se admitteret, qua

haberet occasionem seipsum resuscitandi, adeoque persanandi vulnus mentis nostræ, quæ, ut in S. Thoma apparuit, difficilem se præbet in credenda mortuorum resurrectione. Hinc in Apoc. cap. I. quasi ostentans artis et unguenti sui comprobata certitudinem, ait: *Fui mortuus, et ecce sum vivens, et habeo claves mortis et inferni*, q. d. quomodo ego a morte ad vitam redii, sic et vos mea virtute redibitis. Hac, ni fallor, ex causa dixit Joan. II. ad Judæos quasi adhortando: *Solvite templum hoc*, (corporis mei) *et in tribus excitabo illud*, q. d. occidite hoc corpus et prosternite, ut habeam occasionem tertia die restaurandi illud. Tunc enim videbetis quis quantus sim, tunc in me credet orbis, tunc incipient homines spernere terram, et desiderare cælum, etc.

II. Ut animaret et præiret exemplo martyres pene infinitos, quos prævidit propter se variis cruciatibus exagitandos et enecandos, quo constantiores essent viso antesignano et duce suo, primo glaciei hujus perfractore, et aciei perruptore, juxta id Mich. II. *Ascendet pandens iter ante eos*, Hebr. *porrest*, h. e. *effractor et perruptor*. Quemadmodum enim Moyses, dum prævit Hebræos ingrediens mare rubrum, suo exemplo animavit reliquos, ut animose sequerentur: ita Christus suo exemplo incitavit fideles, ut ingenti numero ipsum imitarentur maxima alacritate ad fundendum sanguinem pro æterna vita. Ita enim de Moyse Josephus, lib. II. antiq. cap. VII. « Moyses videns adesse Deum, et mare de suo solo cessisse, primus progreditur, hortatur Hebræos ut alacriter sequantur per viam divinitus datam, etc. Illis impigre subsequentibus, nimirum divina ope fretis, Ægyptii primum insanire eos putabant, in manifestam perniciem ruentes, etc. » Non aliter Christiani, primi præsertim, secuti maxima alacritate Christum ad martyrium, stupentibus gentilibus, quod, in suam, ut putabant, perniciem tanta hilaritate ruerent. Tam præclaræ et generosæ cohortis ducem non decebat esse alium nisi Dei Filium, hominem factum: primo, ne quis inter electis ejus aureolam gestaret, quam ipse nos meruisset. Erubescit inter strenuos et exercitatos milites, qui nullas vulnerum cicatrices, nulla fracta membra, ut illi, ostendere potest, eo quod nulli prælio interfuerit: ita posset in cælo Christus rubore aliquo perfundi, si in medio heroum, qui pro ejus gloria decertarunt usque ad sanguinem consistens, nullum demonstrare vulnus posset, quod amore humani generis accepisset. Ut hoc audeam dicere, animat me apostolus ad Hebr. secundo scribens: *Decebat enim eum, propter quem omnia, et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per*

passionem consummare, hoc est, decebat Deum Patrem Christum passioni tradere et morti, ut consummaret opus redemptionis suæ, et aureolam seu coronam ei imponeret, summo et heroico amoris actu, per mortem crucis. *Decebat*, inquit, quasi alioquin nominis ejus claritati aliquid dedeceret, et in aliquo inferior fieret iis, quos redemit martyribus. *Unde* (subdit apostolus) *debit per omnia fratribus similari*. Quæ rursus est, cur Petrum appellavit Satanam, seu adversarium, quando ipsi hanc gloriam quasi eripere suo imprudenti consilio voluit. Deinde, quam potenter et nervose provocasset alios ad martyria subeunda, si non ipse prior rubrum hoc mare ingressus fuisset? Unde Cyrillus Hierosolym. catech. XIII. ait: « Quomodo enim corroboraret discipulos ad perferendam mortem pro veritate, si ipse non pertulisset ista? Ille dixit: Qui amat animam suam, perdet eam: et vitam amavit, quomodo id docuit, neque fecit quod docuit? Primum igitur, cum Deus esset, ab hominibus hæc patiens sustinebat, ut homines ab hominibus postea ista patientes, pro ipso ejusmodi perferre non puderet. »

III. Ut doceret exemplo suo et nos ponere animam nostram pro fratribus nostris, vitam scilicet nostram temporalem, pro vita illorum æterna et spirituali. Ita sane argumentatur S. Joannes epistola prima, capite tertio in hunc modum: *Quoniam ille* (Christus) *animam suam pro nobis posuit, et nos debemus pro fratribus animas ponere*. Ubi imprimis non loquitur de vita animæ nostræ spirituali, seu æterna salute; quia hanc sibi quisque potius quam alteri quærere tenetur, loquitur ergo de vita nostra temporali, cui præferre jubet proximi æternam, et salutem animæ. At hoc etiam, dicit aliquis, durum videtur. Esto hoc, christianum tamen et æquum est. Primo, quia non est servus melior domino suo: Christus autem mercator sapientissimus et Dominus noster posuit vitam suam transitoriam, pro æterna nostra. Indignum autem plagisque dignissimum est, servum pluris æstimare vitam suam quam æstimavit suam dominus. Hujus Christi exemplo admonemur, quoties accedimus ad sanctam eucharistiam. Ita enim Proverb. XXIII. dicitur: *Si sederis cenare ad mensam potentis, sapienter intellige, quæ apponuntur tibi, et mitte manum tuam: sciens quia talia oportet præparare*. (Ita habent Septuaginta.) *Quomodo talia præparare oportet, nisi quia sicut pro nobis Christus animam suam posuit, et sic nos debemus animas pro fratribus ponere?* inquit Sanctus Augustinus, trac. XLVII. et LXXXIV. in Joannem. Secundo, quia vita nostra temporanea respectu alterius æternæ nihil est, vix drachma respectu thesauri immensi, lapillus respectu margaritæ

pretiosæ. Hanc enim Christus emit sanguine suo, illam eripere nobis una aranea potest. Tertio, quia tali modo et occasione si ponamus animam pro fratre, ponimus pro Christo, cujus ille membrum est. Quis autem non teneatur mori pro Christo, cum ejus gloria id exigit? Quod si igitur frater tuus de te id non est meritus, et forsitan etiam tibi inimicus est, id tamen meritus, est Christus, qui mercedem tibi impendet non minorem, quam si pro ipso vitam dedisses. Denique in corpore nostro et patimur et facimus; quando enim unum membrum afflictum est, et in periculo versatur, patimur vulnerari cauterio membrum aliud sanum, ut affectum conservetur. Sumus autem nos membra unius corporis, et consimili modo nobis invicem obligati, ut scimus ex apostolo, I. Corinth. XII. Ita ipse quoque paratus fuit fieri *anathema pro fratribus a Christo* ad Romanos IX. hoc est, excludi a beatitudine et gloria, imo, ut explicat Chrysostomus, in æternum perire: et, ut Cassianus, collat. XXXII. capite VI. æternis addici pœnis. Ita Sanctus Vitalis miles, cum vidisset Ursicinum medicum ob christianæ fidei confessionem ductum ad supplicium in tormentis titubare, manifesto vitæ suæ periculum exclamando ad constantiam ipsum animavit: eaque voce Paulinum judicem in se concitavit, ut in vincula raperetur, et postea in foveam projectus lapidibus obrueretur, apud Surium, 19. januarii, in breviario die 28. aprilis. Pari alacritate Sanctus Sebastianus dum Marcum et Marcellianum fratres in fidei confessione nutantes præclaro sermone roboravit ad perseverantiam, vitam suam exposuit vinculis ac tormentis, morti ac martyrio.

IV. Ut doceret nos oves nimirum suas, mortem contemnere, et omnis generis injurias patienter sustinere. Ita Sanctus Gregorius, lib. XIV. moralium, cap. XXVII. *Redemptor noster*, inquit, *suscepit mortem, ne mori timeremus*. Exarmavit enim mortem stimulo suo, quo feriebat prius homines, juxta vaticinium Jseæ XIII. *Ero mors tua, o mors, morsus tuus ero, inferne*. Quo alludens apostolus morti insultat, I. Corinth. XV. *Ubi est mors victoria tua? Ubi est mors stimulus tuus? Sicut ergo cum ape, quæ stimulum suum perdidit, et cum fera, cui dentes effracti sunt, ludere absque damno vel timore possumus: ita nunc pii omnes cum morte. Unde Sanctus Chrysostomus, hom. XXIII. in I. Corinth. « Interroga mortem, inquit, unde perit stimulus tuus? Unde dissoluta est victoria tua? Unde incisi sunt nervi tui? Et pueris et puellis ridicula facta es, quæ et tyrannis et justis omnibus ante hac eras formidolosa? Et corpus Domini horum omnium causam esse profitebitur. » Quia nimirum Dominus corpus suum morti objecit, velut*

hamum, eoque ipsam cepit, et sicut Jonam cepit: vel sicut Jonam cete, qui cum eum digerere non posset, evomere coactus est. Hinc enim mors jam somnus facta est, et transitus ad vitam, teste D. Bernardo, tractatu de natur. et dign. divini amoris, cap. XV. *Hinc, inquit, transitum ad vitam, miseri infideles mortem appellant, fideles autem quid nisi pascha? Quin et Judæ in mortem sua et suorum non immerita plangebant, uti Joseph mortem patris sui, Gen. L. « Nondum enim, inquit in eum locum Chrysostomus, fuerunt portæ inferni contractæ, neque inferni vincula dissoluta, neque mors dicebatur dormitio, et idcirco quia timuerunt mortem, hæc faciebant: nunc autem propter gratiam Christi, quia mors facta est somnus, et consummatio, et quies, quasi de vita in vitam transferendi sic exultamus. Et quid dico de vita in vitam? De deteriori ad meliorem, de temporali ad æternam, de terrena ad cœlestem. » Ad hoc accedit exemplum Christi, qui, ut ait apostolus ad Hebræos II. *Pro omnibus gustavit mortem.* Quod explicans Theophylactus: « Sicut medicus inquit, cum videt ægrotum fastidire cibos et pharmaca, prior ipse ea sumit, ut ægrum ad eadem sumenda inducat: ita Christus prior gustavit mortem, ut eam gustare non horreat Christianus. » Neque mortem solam, sed etiam mortis dolores, quævis tormenta et injurias superare docuit nos exemplo suo Christus, quando velut ovis coram tondentibus se obmutuit: et quomodo solent oves ligatæ hinc inde jactari et sine renitentia duci ad macellum: ita se ab impiis agitari et educi ad supplicium permisit. Hinc apostolus ad Romanos VIII. ait: *Propter te mortificamur tota die: æstimati sumus sicuti oves occisionis, q. d. ita patienter omnia supplicia perferimus, ut æstiment oves esse, quæ sine fuga, sine reluctatione, sine defensione patiuntur suam lanienam, tuo nimirum ducti exemplo.**

V. Ut ostenderet sua morte, quantopere nos amaret, quod indicat Joannes, cap. XIII. cum ait: *Cum dilexisset suos, in finem dilexit eos.* Ubi Sanctus Augustinus, tract. LV. *Quia inquit, in tantum dilexit eos, ut moreretur pro eis.* Et Rupertus in eum locum: « Sic utique jam dilexerat eos, ut de cœlo ad terram descenderit propter

eos, et ut qui erat Deus invisibilis in sinu Patris homo visibilis de ventre femineo factus fuerit, sed non erat consummata ista dilectio. Nihil enim suis profuisset, quod homo factus fuerat, si non pro illis etiam pateretur; siquidem hoc ipse supra dixit: Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Igitur, ut oportebat, dilexit eos, id est, dilectionem erga illos eousque perfecit, ultra quod non posset augeri, videlicet ut animam suam poneret pro illis. » Quid enim habet homo pretiosius vita sua? Certe Tigranes ille Armeniæ rex cum uxore a Cyro captus, cum ab eo interrogaretur, quid pro conjugis dilectissimæ redemptione daturus esset, nihil pretiosius, quod offerret, præter vitam suam habuit, quam et Cyro obtulit, apud Xenoph. in vita Cyri, indicans se daturum si quid charius vita haberet. Christus etiam si quid anima sua pretiosius habuisset, utique obtulisset pro suis ovibus. Multi quidem inveniuntur, qui largitionibus et muneribus suum erga charos amorem contestentur: sed qui pati gravia præsertim in suo corpore velint, albo corvo rariores; qui etiam vitam dare, nulli plane sunt. Demonstraturus quondam Deus suum erga Hebræos amorem, dixit eis per os Malachiæ, cap. I. *Dilexi vos. Aiunt illi: In quo dilexisti nos? Quibus Dominus: Nonne frater erat Esau Jacob? Et dilexi Jacob: Esau autem odio habui?* hoc est, in posteros Jacob, seu Hebræos, plurima beneficia contuli, educendo eos ex Egypti servitute, tuendo in deserto, inducendo in terram lacte et melle manantem, extollendo super omnia regna, reducendo e captivitate, etc. quoniam nihil exhibui posteris Esau seu idumæis: quos damnavi ad terram asperam et horridam, destitu lege et prophetis, deserui in captivitate, etc. At si amorem Christi nobis exhibitum velimus expendere, majora longe inveniemus. Non enim obruit nos gratiis et muneribus tantum, sed præterea acerbissima et indignissima, ipsamque adeo infamem crucis mortem pati pro nobis, voluit. Quis amorem hunc pro merito extollere, imo capere satis queat, quis non amore reciproco langueat, e mente prorsus excedat? Quis tandem amorem vel levissime offendere audeat?

DOMINICA III. POST PASCHA.

EVANGELIUM. JOANN. XVI.

In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis: Modicum, et jam non videbitis me, et iterum modicum, et videbitis me: quia vado ad Patrem. Dixerunt ergo ex discipulis ejus ad invicem: Quid est hoc quod dicit nobis: Modicum et non videbitis me: et iterum modicum, et videbitis me, et quia vado ad Patrem? Dicebant ergo: Quid est hoc quod dicit: Modicum? Nescimus, quid loquitur. Cognovit autem Jesus, quia volebant eum interrogare, et dixit eis: De hoc quæritis inter vos, quia dixi: Modicum, et non videbitis me, et iterum modicum, et videbitis me. Amen, amen dico vobis, quia plorabit et flebitis vos, mundus autem gaudebit: vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus: cum autem peperit puerum, jam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis: iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.

CONCIONES.

- I. Omnia mundo modica, etiam quæ videntur magna.
- II. Septem modica bene consideranda.
- III. Vocata modicum, quam varie consoletur justos, terreat malos.
- IV. Quam modicum sit gaudium malorum in sæculo.
- V. De modico tribulationis, seu modicum esse quod nunc patimur.
- VI. Solidum ac jugè piorum gaudium in quo consistat.
- VII. Non esse vane lætandum in mundo, sed plorandum potius.

VIII. Documenta.
IX. Mysteria.

CONCIONES AUCTARII.

- I. Quando parentes gaudere possint.
- II. Quando parentes non gaudeant de liberis suis, sed tristentur potius.
- III. Partus mulieris morti non absimilis.
- IV. Non spernenda modica, e quibus nascuntur sæpe magna.
- V. Justos cur subinde ad modicum Deus deserat, et qui requirendus.

CONCIO I.

OMNIA IN MUNDO MODICA, ETIAM QUÆ VIDENTUR MAGNA.

- I. Modicum est sapientia et scientia: 1. Quia fluxa. 2. Quia imperfecta. 3. Quia periculosa. 4. Quia laboriosa. — II. Modicum est nobilitas, honor, dignitas: 1. Quia fluxa. 2. Quia infirma. 3. Quia periculosa. — III. Modicum est robur corporis: 1. Quia fragile. 2. Quia sæpe noxium. 3. Quia sæpe inutile. — IV. Modicum est forma corporis: 1. Quia caduca. 2. Quia insidiosa. — V. Modicum sunt divitiæ: 1. Quia facile perduntur. 2. Quia insufficientes. — VI. Modicum est favor principum: 1. Quia fallax. 2. Quia maucus. — VII. Modicum est dominatus: 1. Quia non diuturnus. 2. Quia plenus laboribus.

THEMA.

Quid est hoc, quod dicit nobis modicum? Joan. XVI.

Magna est, auditores, differentia inter Dei judicia et hominum: Quia sicut exaltantur cæli a terra, inquit, Deus per os Isaia, c. LV. sic exaltata sunt viæ meæ a vobis vestris, et cogitationes meæ a cogitationibus vestris. Quemadmodum ergo ea, quæ nos in terris magna dicimus et reputamus, veluti montes magnos, regiones magnas, civitates magnas, etc. si ex concavo lune aspicerentur, modica, imo nulla apparerent; ita etiam contingit, ut bona illa terrena, quæ nos magni æstimamus, Deus parvi vel nihili æstimet. Ecce Christus in hodierno evangelio tempus ab ultima cena usque ad ascen-